

idem & eodem ingenio gestijt & potuit instrumenta quoq; diuinarum rerum & sanctorum Christianorū, sensum de sensibus, uerba de uerbis, parabolas de parabolis, prophanae & æmulæ fidei attentare. Et ideo neq; à diabolo immissa esse spiritalia nequitia, ex quibus etiam hæreses ueniūt, dubitare quis debeat: neq; ab idololatria distare hæreses, cū & autoris & operis eiusdem sint cuius & idololatria. Deum aut fingunt alium aduersus creatorem: aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in uero est. Ita omne mendacium de deo uel natio quodāmodo sexus est idololatria. Non omittam ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionē. Quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit: sine grauitate, sine autoritate, sine disciplina aut fidei suæ congruens. In primis quis catechuminus, q̄s fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiā ethnici si superuenerint sanctum canibus, & porcis margaritas: licet non uersas iactabunt, simplicitatem uolunt esse, post rationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium uocant: pacem quoq; passim cum omnibus miscēt. Nihil enim * in uerum est illis, licet diuersa tractantibus dum ad unius ueritatis expugnationem conspirent. Omnes scientiam pollicētur. Ante sunt perfecti cathecumini, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, fortasse an & tingere? Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes. * Tunc neophytos conlocāt: nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia ueritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaq; alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laici sacerdotalia munera iniungūt. De uerbi autem administratione quid tam? cum hoc sit negocium illis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam non si iacentibus eleuationem operentur. Quoniā & ipsum opus eorum non de suo proprio edificio uenit, sed de ueritatis destructione nostra suffodiunt, ut sua ædificent. Adime illis legem Moyse, & prophetas, & creatorem deum, accusationem & loqui non habent. Ita fit ut ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm extructiones iacentiū ruinarum. Ad hæc solūmodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt. Cæterum nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos ferè non sunt: quia cum sint, non parent schismata. Est enim unitas ipsa. Mentior si non etiam à regulis suis uariant inter se, dum unusquisq; proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam & originis suæ more profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni de arbitrio suo fidem innouare: Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum autoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec ecclesias habent, sine

matre

Als * uerum in.

Als * nunc.